

Typographus Lectori.

IN meas nuper manus venit Epistola Illustrissimi, & Eruditissimi Viri D. Caroli Cartharij Aduocatorum S Consistorij Decani, tradens notitiam Operis meis Typis, ac sumptibus editi: Eam seorsim impressi, præsertim pro vsu illorum, qui scribunt Diaria Literatorum. Superuenit deinde Censura Doctissimi P. D. Caietani Passarelli Clerici Regularis S. Romanæ Vniuersalis Inquisitionis Qualificatoris, quam cum in lucem emittere decreuerim, simul cum illa iterum Typis subijcio eandem Epistolam, vt vtramque addam ijs exemplis Voluminis, quæ nondum vendita sunt. Vale.

EPISTOLA ILLVSTRISSIMI DOMINI
CAROLI CARTHARII VRBEVETANI
Aduocatorum Sacri Consistorij Decani, & Archiuij Apostolici Arcis S. Angeli Præfecti.
Ad Illustrissimum ac Reuerendissimum D.
PROSPERVM BOTTINIVM
Archiepiscopum Myrensem, & Fidei Promotorem.
Qua ad notitiam deducitur Opus inscriptum
DEMONSTRATA IMPIORVM INSANIA.
Nuperrimè
A P. Ioanne Laurentio Lucchesinio Lucensi editum.

Ill.me ac Reu.me Domine.

CVM Dominatio Vestra Illustrissima à me requirere dignata sit, quid sentiam de Opere nuperrimè in lucem edito Patris Ioannis Laurentij Lucchesinij Lucensis, Venerabilis Societatis IESV Alumni, sanguine, ac beneuolen-

tia cum ipsa Dominatione Vestra Illustrissima coniunctissimi, ab eodem Authore humanissimè mihi dono dato, & à me accuratè, atque verbatim perlecto; en, quid sentio, proferam. Inscriptio talis est. *Demonstrata impiorum insania. Siue Noua Copia, & Series centum euidentium Signorum veræ Fidei, oculis subijcientium Veritatem Ecclesiæ Romanæ, Sacraque Monarchiæ Pontificis Maximi, Argumentis plusquàm mille debellantium Schismaticos, & Hæreticos: & alijs plusquàm ducentis euertentium directè, ac singillatim Atheos, Theistas, Iudæos, Mahometanos, Ethnicos, manifestæ dementiæ redargutos.* Ex solius Inscriptionis contextu, qualis Operis maiestas sit, & quid in Opere ipso pertractetur, quis non percipit?

Paucissima hæc scripseram, quando iterum à me perlecta, vna, atque altera præstantium Virorum sententia, initio Libri præfixa; nempe P. Paulini Bernardinij Ordinis Prædicatorum, Sacræ Theologiæ Magistri, Sacræ Congregationis Indicis Consultoris, & in Romana Sapientiæ Vniuersitate publici Professoris: nec non P. Blasij à Purificatione Carmelitæ Discalceati, Sacræ Theologiæ Professi, ac sui Ordinis Historici generalis; qui Volumen cedro dignum censuere; calamum deposui, inquiens: ad quid mea opinio, vbi duo præclari Iudices sententiam protulere?

At mutato consilio, & calamo reassumpto, Archipræsulis Prosperi Bottinij genio indulgeo, iussionibus obtempero; qui, vt in hac Vrbe ex Præscripto Sedis Apostolicæ Orthodoxæ Fidei Promotor existit; ita Lucchesinij Operis, quod eandem Catholicam Fidem strenuè propugnat, Promotor euadet.

Meum itaque consilium non est, singulas insignis Operis dotes attingendi; sed solùm iuxta introductum morem in Diarijs Literatorum, & Compendijs Historicis Voluminum, quæ de recenti in dies luci exponuntur, quæ in Gallia, Parmæ, & alibi Typis eduntur (& in hac Alma Vrbe, præfixo Titulo *Giornale de' Letterati* obseruabatur) animaduertendi quid noui ferat.

Arduum sanè videtur aliquid noui in Materia afferre, quam Authores plurimi pertractarunt, & in qua laus ab alia-

re:

re quærenda non est, quàm à soliditate, seligente illa, quæ magis prosint ad veritatem patefaciendam. Attamen si post tot Sanctos Doctores, & alios, qui de hoc egerunt, potuit Thomas Bozius Volumina duo conscribere *De Signis veræ Ecclesiæ*, & centum eiusdem Ecclesiæ Signa afferre; etiam alij totidem possunt recensere.

Hoc sanè præstitit Author noster; quia noua plerumque sunt Signa ista: noua series: noua Argumenta probantia veritatem,& efficaciam Signorum: nouus modus elegans, & figuratus,quo afferuntur: noua modestia, qua, nihil lædendo Nationes, solùm impiarum Sectarum duces condemnat.

Quoad Signorum nouitatem, qui Bellarminum, Granatam, Bozium, & alios, hoc Argumentum pertractantes, perlegerunt, animaduertent, ferè nihil ab ipsis nostrum Authorem mutuatum fuisse, præterquàm vbi ipsos allegat.

Series est penitus noua, vt statim obseruare poterunt percurrentes Indicem Signorum Bozij, quem Author affert in calce Epistolæ ad Lectorem; & Indicem Signorum ipsius Authoris, qui solùm coincidit cum septem, aut octo ex illis, quæ à Bozio traduntur; ac diuersissimam ab illo methodum seruat.

De nouitate Argumentorum statim eruditis constabit, licet enim aliqua ex ijs ab alijs allata fuerint ad particulares Controuersias soluendas: attamen adhibita non sunt ad statuenda generatim Signa veræ Fidei; inter quæ vnum præcipuum est Authoritas visibilis Ecclesiæ, quam validissimè demonstrat,recensendo ex ipso Facto, non ex Iure, Experimenta innumera Pontificiæ Potestatis, tàm in Oriente, quàm in Occidente.

In his conglobandis experimentis, & ad suas Classes reducendis, insignis etiam nouitas fulget, cum nihil simile in alijs à me repertum fuisse Scriptoribus meminerim.

In Historia ipsa omnem nouitatem exhorret: sed consectatur Authores in Ecclesia receptissimos, Græcos, & Latinos, præsertim Sanctos, ideoque maximæ authoritatis: ac etiam hostes, in quantum Catholicæ Ecclesiæ fauent, videlicet an-

tiquos Hæreticos, & Schismaticos, Eusebium, Socratem, Sozomenum, Zonaram, Nicephorum Callystum, Photium, aliosque huiusmodi; ex quibus magna vis petitur ad stabiliendam Catholicam Veritatem; quam præterea fundat præsertim Author ex Actis Generalium Conciliorum, quæ in Græcia celebrata sunt.

Licet autem in Historia nouitatem quoad res ipsas omni studio vitet; plurimam tamen lucem sua methodo eidem Historiæ affert, præsertim vbi agit de seminibus, & origine præcipuæ rebellionis à Romano Pontifice, scilicet Orientalis, quam alij à Photio incœperunt. Ipse autem à supradictis, & alijs recentioribus; sed probatissimis Scriptoribus, Allatio nempe, Cariophylo, Arcudio, alijsque ostendit, ante Photium initas fuisse septem velitationes, & initia pugnæ à Græcis cum Latinis: atque ipsas discordias antecedentes, & consequentes in sexdecim diuidit.

Nouum etiam est, ex ipsis initijs, & progressibus rebellionis Schismaticorum argumenta falsitatis eiusdem Schismatis eruere, & à fortiori Hæresum.

Præterea lucem magnam affert Quæstionibus multis Ecclesiasticis, huc vsque agitatis; & manifestas reddit res, quæ adeo claræ non videbantur.

Elegantia verò, atque eloquentia, qua medelam affert veneno Authorum recentium hæresum, qui plurimos lepore styli deceperunt, in hac materia penitus noua est; & vix in alijs materijs inuenitur Author, qui tantam rerum facundiam exhibeat, congerendo plurimas, & non repetendo easdem inanibus verbis, atque ad legendum alliciendo, noua eruditionum copia semper allata, non ad pompam, sed ad argumentum roborandum.

Exhortationes, quas in fine quarti Libri, & in quinto affert contra septem species errantium in Fide, videlicet Schismaticos, Hæreticos, Atheos, Theistas, Iudæos, Mahometanos, atque Ethnicos, licet in Paragraphos diuidantur, maioris claritatis gratia, atque vt magis series Argumentorum appareat, attamen coniunctæ constituunt Orationes insignes,

plu-

plurimis Argumentis contextas: verbi gratia octoginta quatuor contra Atheos, ac Theistas; quæ totidem sagittæ videntur, ad salubriter ipsorum animos vulnerandos.

Nouum pariter est, quod, Infideles impugnando, ab Atheis non incipiat, vt fieri solet; sed expendi, opportunum fuisse, priùs centum Signa Veritatis contra illos afferre, qui minus à Nobis discrepant, Schismaticos videlicet, & Hæreticos, ac deinde seligere ex istis ea, quæ valent etiam contra alios veræ Religionis aduersarios.

Nullus præterea (quod nouerim) impugnauit (non solùm indirectè, scilicet probando Veritatem Catholicæ Fidei; sed etiam directè, afferendo Signa eiusdem Fidei contra singulas Sectas) errores earundem singularum Sectarum: quod adeo efficaciter hic præstatur, vt Atheos, verbi gratia, atque Theistas à nullo tam solidè, ac patenter profligatos viderim.

Id certè, quod in Operis Titulo promittit; videlicet à se demonstrandam Impiorum insaniam, egregiè implet: tum quia plurima ex Argumentis sunt demonstratiua; tum etiam (& multò magis) quia ex omnibus, quæ contra singulas Sectas intorquet, resultat Demonstratio plus quàm moralis; quæ potiùs (vt Author notat) Metaphysica videtur dicenda: nec sanè potest dari, quod non sit vera Fides illa, quam Deus Omnipotens tot Signis ostendit esse verissimam, scilicet Romanam: Diuina siquidem Maiestas perpetrare nequit Miracula ad homines decipiendos, vt optimè animaduertit Author.

Ipse Titulus Operis aliquibus nouus videri potest; sed plurimi sunt, qui Demonstrationes appellant Signa Fidei, constituentia euidentem Credibilitatem, & Credenditatem, scilicet euidens Meritum, & Obligationem credendi. Quod autem Impij appellentur Insani, vetustissima res est; & ipsi omninò putant, tale sibi à Nobis nomen tribui, vt illis tributum est à S. Ioanne Chrysostomo, alijsque plurimis.

Hoc denique Opus non solùm omnibus impijs, si ab illis expendatur, summopere prodesse poterit, & proderit: sed etiam Controuersistis, & Missionarijs ad omnes Infideles.

Iuuenes autem, qui Rhetoricæ ſtudent, habebunt hìc Florilegium formularum, præſertim pro rebus ſacris, atque neruoſæ facundiæ exemplar, affluentis copia rerum illuſtrium. Ac demum Catholici omnes motiua inuenient, ex quibus validè confirmabuntur in Sanctiſſima Religione, cuius in ſinu ſuauiſſimè conquieſcent.

Hæc habui, quæ ſinceriſſimè (hoc eſt meo more) ſcriberem ad Illuſtriſſimam Dominationem Veſtram; quam enixè precor, vt ipſi Patri Lucchefinio ſtimulum addat, quantò citiùs præclarum Opus *De Concilijs* prælo tradendi. Et Archiepiſcopi Bottinij ſacratas manus deoſculor; eique à Deo Opt. Max. fauſta omnia precor. In Vrbe. Die xxiv. Menſis Iunij. Anno Reparatæ Salutis M DC LXXXIX.

Dominationis Veſtræ Illuſtriſs. ac Reuerendiſs.

Addictiſs. & Obſequentiſs. Seruus

Carolus Cartharius.

AD

AD ILL.MVM AC REV.MVM D. PROSPERVM BOTTINIVM Archiepiſcopum Myrenſem, & Fidei Promotorem, Sanctique Officij Conſultorem.

R.MI P. D. CAIETANI PASSARELLI CLERICI REGVLARIS Sanctæ Romanæ Vniuerſalis Inquiſitionis Qualificatoris, & Catholici Regis à Concionibus

Cenſura Libri, qui inſcribitur

DEMONSTRATA IMPIORVM INSANIA.

PLACVIT tibi, Illuſtriſſime, ac Reuerendiſſime Domine, eo mecum imperio vſo, quod repetitis titulis, iuribuſque exercere debes, ac potes, imponere mihi, vt Librum euoluam, nuper luci publicæ traditum ab Adm. R. P. Lucchefinio è Societate IESV, non minus tibi claritudine generis per arctam cognationem, quàm virtutum, morumque ſplendore coniuncto; cumque Viri huius Curiæ doctiſſimi præclarè, ac magnificè, vt par erat, de eodem Opere cenſuiſſent, mihi etiam præcipis, vt primarijs me viris immiſceam, & calculum quoque meum in vrnam inijciam. Obedientiæ itaque conditioni meæ propriæ, & obſequij merito prælucente, auidos legendi admoui oculos, ſi in argumento fortaſſe multitudine Auctorum, ac ſerie excuſorum Librorum adeò trito, reuolutoque, ac propè, vt ita dicam, effæto, noui quidquam, & peregrini interlucere poſſet, quod ingenium illuſtraret, & Voluminum ſimilitudine, & copia nauſeantem ferè iam animum recrearet.

Porrò hæſi primùm, nec minus attentè, quàm iucundè, in

fronte, ac Titulo Libri: *Demonstrata Impiorum Insania*. Insanos quippe vocat Hæreticos, & Schismaticos, & lutulentas alias Sectas, ab aureo Diui Chrysostomi fonte aduersus Hæreticos hoc pulchro epitheto mutuato: quo nihil reuera proprius, & congruentius aptari Hæreticorum sensibus potest. Concilium quippe Constantiense plerasque Ioannis Wiclephi assertiones *Insanas* appellat, & Ioannes 22. in Extrauaganti: *Gloriosam*: erroribus Henrici de Sena, & aliorum Sectariorum *Insaniæ* notam inurit, idque passim ab alijs Pontificibus vsurpari, dum anathematum fulmina Hæreticis iaciunt, videre facile est: cum enim Hæresis, siue Schisma sit error fixus in intellectu, ipsam, cui inhæret, intelligentiam corrumpit, ac prope cerebrum labefactat. Prolusionem totius Operis Auctor à Fide Diuina petit, disertè quidem eius extricando Mysteria, cuius Signa velut radios inde manantes prodere statuit: in quorum explanatione Mysteriorum, & per veli opacum passim doctrinæ suffusa luce, maximè me delectant viuida quædam exempla, quibus obstrusiora Fidei latibula, intimosque recessus eloquentissimè aperit, ac penè subijcit oculis. Inter alia, ne omnia prætercam, illud floret exemplum, quod Iudex certè, & cum euidentia credibilitatis procedit ad sententiam supplicij, non viso, nec palpato crimine rei, sed testium dumtaxat incorrupta fide subnixus. Ceterùm ideo moralis doctrina Socratis super omnes morales Philosophos à Platone, & Xenophonte summis laudibus celebratur, quia moralia ille præcepta per vulgaria exempla, ac similitudines fundens veram virtutis pulchritudinem velut spirantem oculis exhibebat. Accedunt quoque huic Fidei explicationi quædam lumina Sanctorum Patrum, ac flores sententiarum, Theologorum rationibus interposita, quæ magis doctrinam corroborant, & illustrant. Hæc de quasi proludio Operis.

Totius libri series ex centum euidentibus Fidei nostræ Signis conflatur. Pleraque Signa Noua sunt, nec à Bozzio, nec ab alijs, qui latè de hoc argumento scripserunt, animaduersa. Hæc omnia ad quatuor capita, siue fontes, vnde multiplices

doctri-

doctrinæ, & eloquentiæ riuuli effluunt, suo ordine reducuntur, nimirum quod Ecclesia Romana sit Vna, quod sit Sancta, quod sit Catholica, seu Vniuersalis, quod sit Apostolica. Huiusmodi tituli,& nomina sub distinctis Libris, articulisque latissimè complectuntur, quod Romanus Pontifex sit Ecclesiæ Monarcha, legitimus Sacræ Scripturæ Interpres, Supremus Iudex in causa Fidei,Infallibilis, & irrefragabilis, Caput & Rector Vniuersalis Ecclesiæ, & Superior Vniuersali Concilio; itaut aduersus illas Assertiones à Clero Gallicano recenter obiectas,& quantum deinde in earum fauorem scripsit Maymburgus, alijque Recentiores, quædam velut Officina ostendatur, in hoc Opere elaborata, ex qua cudi, arripi, acui tela, ac vehementer torqueri in Nouitatis interitum possint. Præsertim cum in doctrinæ adminiculum adsint solidæ, nec tritæ Patrum sententiæ, quas hactenus non vidi ab alijs Auctoribus allegatas, simul Sacræ Scripturæ sensus mirificè elucidati, simul etiam in allusione proprietas, neruus in sententia, acumen in doctrina, robur, & vigor in argumento, concentus in ordine, amænitas in dictione, candor in eloquio,ita, vt styli aculeum Hæreticus, & Schismaticus sentiat, & mella ibi quoque degustet lector. Porrò autem elegantes quasdam Patrum sententias, reconditasque doctrinas vel aceruatim, vel obliquè, vel perfunctoriè, & quasi per transitum tanquam lapillos Auctor interdum incuriosè iacit, vt nonnisi eruditissimus vir,& in materia longè versatus animaduertere, aut legere omninò sciat.

Aduersus Hæreticos eleganter,& acriter Opus inuehitur, & præsertim in illam ab ipsis, & fatuè, distinctionem confictam, quæ alios statuit Fidei *Fundamentales* Articulos, quales in Apostolico, & Nicęno Symbolo continentur, alios *Accessorios*, & in illis se cum Catholicis conuenire, in his verò discrepare, parum, aut nihil momenti esse: quæ quidem impia distinctio, & chymerica ratio nunc in Anglia, & Germania vigens, cladem ingentem edit, id propterea discriminis inter Catholicos, & Hæreticos statuentium, quod inter diuersa Theologorum Gymnasia interest; quæ nefaria distin-

ctio hic doctè, neruosè, & peracutè conuellitur. Obiectantur hic etiam, & copiosè Hæreticis Nouitates, antiquis Ecclesiæ, & Patrum Traditionibus aduersantes, & post longum circuitum eò impudentiæ, atque insaniæ redacti ostenduntur, vt iam illi conuicti, id nunc credere Ecclesiam, quod Sancti Patres Latini, Græcique superna luce tradiderint, has Catholicas Veritates in Sanctorum Veterum Patrum libris expressas, *næuos*, siue Patrum *errores* dicere petulanter, & impiè non erubuerint. Quod idem est, ac dicere cogi, quod errore lapsus est Athanasius, quod desipuit Chrysostomus, quod caligauit Ambrosius, quod offendit Gregorius, quod delirauit Augustinus: quæ in eosdem retorta illatio in hoc etiam blasphemos validè sternit. Longè præterea, latèque in Opere patet, carere Hæreticos Spiritus Sancti assistentia, prophetico dono, miraculis, morum temperie, puritate doctrinæ, decore virtutum; imo omnia veriùs per præstigia, per fucos, & fraudes agere, logomachiam, & homonomyam, & circulationem in omnibus exercentes. Sed singularis, & egregius inter reliquos eminet ille tractatus in pagina 428. vbi Regulæ plurimæ consignantur ad omnes hucusque exortas, & exorituras quoque Hæreses labefactandas, & quasi quoddam in illo Armamentarium instruitur, quo per diuersa armorum genera, singula singulis erroribus apta, omnes Nouatores cum nouitatibus proteruntur.

Vehementior tamen ab Auctore cum Schismaticis pugna conseritur, & primùm concinna, atque lepida historiæ methodo quærens, quod non fuerit Schismatis causa, scilicet non certamen Sancti Papæ Victoris de Paschate cum Asiaticis, non Sancti Stephani Papæ cum Diuo Cypriano de reiterando Baptismo dissidium, non querela Græcorum aduersus Latinos de Processione Spiritus Sancti per additam Symbolo particulam *Filioque*, non scissio Romani Imperij, dum rerum singulas rationes, causasque affluenter percurrit, & grauiter excutit, antiquiora Ecclesiæ Veteris monumenta, & notitias insignes tum profanæ, tum Ecclesiasticæ historiæ aperit, ac prope subijcit oculis: deinde expositiuo sensu reciprocans,

ve-

veramque Schismatis causam exponens, alios historicos fontes, & Annalium diuitias exerit, nec minus doctrina instruit, quàm vbertate rerum, & copia animos pascit: iudicio quoque incorruptus, & integer, electione in proposito melior, cum potissimam Schismatis causam refert ad Photium, perditamque Bardæ luxuriem, exemplo videlicet ab Anglicano Schismate repetito; sicut enim Anglia propter Henrici Regis impudicitiam, qui legitimas Catharinæ adulterinis Annæ Bolenæ nuptijs postposuit, ab Ecclesia defecit: ita superinducta pellex à Barda in expulsæ Coniugis locum, & assentatio Photij, qui ereptas idcircò Ignatio, qui facinori obstabat, Infulas intercepit, pessimum Schisma comparauere. Quo Auctore nemo profectò meliùs mihi videtur in originem Schismatis collimasse; nam scelera vtplurimùm ex libidine orta mutationem regiminis inuexere, rerumque sublunarium euentus veteres noui, ac nouos veteres excipientes, fluxu, refluxuque perpetuo tanquam in Orbem circumferuntur.

In ijsdem autem Schismaticis oppugnandis, conferto pede, & breuibus, sed ineluctabilibus, & quasi fatalibus armis Auctor videtur incumbere, ad illius adagij similitudinem: Quod iam res ad Triarios peruenit; quando scilicet eò pugnæ calor, ardorque deuenit, vt extremo conatu, summisque viribus agitetur. Irrefragabilia inter cætera, nec fortiora librari posse ego arbitror argumenta, sunt. Quod Ecclesia Schismaticorum nullo ordine, nulla vnitate compaginatur; pars enim Constantinopolitano Antistiti, altera Alexandrino, hæc Antiocheno, illa Hierosolymitano seorsim obedit, nulla ab altera ad alteram prouocatione recepta, singulis velut Insulis à continente, communique consortio rescissis. Quod acria certamina, & æterna prope dissidia eosdem Schismaticos distrahant, atque diuellant, cum & illos nec certa Regula, lexue teneat de Ritibus, & cæremonijs, de Ecclesiastica disciplina, de Dogmatibus Fidei, quasi naues sine clauo, sine Rectore, sine Duce in alto gurgite fluctuantes. Quod tandem ipsa rei Nouitas, quæ nec placuit Diuo Athanasio, nec Basilio, nec Gregorio Nazianzeno, nec Chrysostomo, alijsque inclytis viris,

viris, & Græcis, qui subiectionem, & vnitatem cum Ecclesia Romana coluerunt, per se ipsa suspecta, vt Nouitas, est. Tanti enim valet argumentum à Nouitate ductum, vt D. Augustinus contra Academicos agens, & præsertim contra eos, qui asserebant, animam rationalem produci è potentia materiæ, his tantummodò verbis confutauerit: *Ipsa Nouitas displicet*.

Hæc omnia quoque doctrinæ lumina in centum Signa, & veræ Fidei tesseras sparsa, supra mille argumenta ab Auctore prolata excipiunt, eamdem veritatem corroborantia, & lucem doctrinæ addentia; vt quidquid de hac materia ratiocinando, arguendo scripserint Bellarminus, Bozzius, Sanderus, Bouerius, & alij, ex composito, vel per transuersum nedum complectatur hoc Opus, sed etiam plurima noua adijciat, nouasque latebras detegat tum ad Nouatores confodiendos, tum ad effugia fraudibus præcludenda. Inter hæc singulare, & rarum quoddam occurrit, & animaduersione maxima dignum. Id porrò est, quod præcisè non negat Auctor, Miracula apud Schismaticos esse, nec illud propterea omninò refellit, quod in Oriente contingere narrant Schismatici, per excommunicationem scilicet à Schismaticis Episcopis latam, sæpè sæpius defunctorum corpora intumuisse: & hanc ibi Auctor rationem assignat, quia potest Deus ea ordinare Miracula, ne illi à Schismate (quod minus malum, cum Ecclesiæ Sacramenta non respuat, esse videtur) ad impietatem Mahometicam deuoluantur. Quæ quidem sententia prima facie difficilis esse videtur, & Baronij doctrinæ opposita anno Christi 34. asserentis, Miracula esse dotem à Christo Catholicæ tantùm Ecclesiæ legatam, & in veritatis attestationem proposita. Schismatici verò sunt extra Ecclesiam Catholicam, vt ab illa separati: carent etiam iurisdictione ad valorem censuræ necessaria, vt docet de Schismaticis Diuus Thomas. 2. 2. q. 39. art. 3. vnde lata ab illis excommunicatio cum nulla sit, nec metuenda, absurdum est quoque dicere, quod Deus in confirmationem violentæ, iniquæque sententiæ miracula faciat. Nihilo tamen minus Auctoris doctrina constat, nam Baronius ibi videtur loqui de Hæreticis, & hic

Au-

Auctor patenter loquitur non de Hæreticis, sed Schismaticis, prout Schismatici sunt, qui iuxta doctrinam D. Thomæ in eadem quæst.art.1.non sunt formaliter Hæretici. Nec illa Miracula edita asserit Auctor in Schismatis, vel vsurpatæ iurisdictionis probationem; sed, inter alias causas, ne Schismatici in Mahometismum præcipitentur. Sicuti Deus causando materiale peccati permittit dumtaxat malitiam illi annexam, propter fines, qui pertinent ad Prouidentiam vniuersalem. Terrorem præterea per illud prodigium censuræ comparatum intelligit Auctor pro Censura in suo genere considerata, non pro tali censura, quæ ob defectum iurisdictionis est nulla; quod tantùm perfunctoriè delibat Auctor, cum ipse ex professo loquens luculentius argumentum excutiat.

Amplius ego adijcio, ad vberiorem doctrinam, & maiorem Auctoris sententiæ firmitatem, Theodoreti auctoritatem apud Anastasium Episcopum Nicænum in tomo primo Bibliothecæ Patrum editionis Parisiensis 1589. iam expurgato per correctionem Romanam editam sub Paulo V. anno 1607. quæ ita se habet: *Quando ergo videris, & per Hæreticos, & per Incredulos fieri aliquod signum, ne obstupescas, aut à recta Fide dimouearis; sæpè enim etiam eius, quæ accedit, Fides, ea est, quæ Signum facit, non eius, qui fecit, dignitas.* Et paulò post addit: *Multi enim sæpè non solùm Orthodoxi peccatores, sed etiam Hæretici, & Infideles fecerunt Signa, & prophetarunt, cum Diuina quadam dispensatione, vt diximus, eis esset concessum: vt in Balaam, & Saule, & Nabuchodonosor, & Caipha licet inuenire, propter causas rationi consentaneas.* Multa ad rem congeri possent; sed hæc dixisse sufficiat, vt pateat, quod, si noui quidquam, aut peregrini in hoc Opere inseritur, inconcussa ratione, & solido fundamento firmatur.

Aliud etiam est, quod in hoc Libro mihi maximè placet, quod eius scilicet Auctor non repudiat, sed libenter admittit, & probat Epistolas Decretales Summorum Pontificum, etiam quæ à Papa Clemente Primo vsque ad Siricium enumerantur, circa quas Nostrates nimis leues, ac faciles ad eas reijciendas, præterquam quæ in Actis Conciliorum, & apud

probatos Auctores recitatæ reperiuntur, aliquorum argutijs, speciosisque argumentis celeriter, & inconsultò manus dedere, minimè attendentes, eadem quoque argumenta posse applicari epistolis Diui Augustini, Hieronymi, Tullij, Plinij, quarum paucæ, quæ videntur adiectitiæ; & intrusæ reliquas vitiare nequaquam possunt; præsertim cum errore transcriptorum per vitium antiquitatis aliqua in aliquas irrepere absurditas potuisset. Sic, & immeritò quidem, à nonnullis reijcitur Liber Diui Thomæ de Regimine Principum propter personam ibi allegatam, Diui Thomæ temporibus minimè congruentem: quod tamen errore transcriptoris, qui ad dilatandum temerè argumentum per hanc additionem Textus veritatem corrupit, id euenisse constat; siquidem tale mendum, erratumque in Originali eiusdem Diui Thomæ, quod extat in Bibliotheca Vaticana, non inuenitur. Gratulor igitur nostro Auctori, & gratias ingentes ago, quòd eas Epistolas asserendo meretur benè, & præclarè de Apostolica Sede, cùm Primatus Romanæ Ecclesiæ, & Suprema Romani Pontificis Auctoritas nullibi vehementius, & clarius, quàm per has Epistolas innotescat: eaque propterea sollicitudo, quæ Romanæ Ecclesiæ æmulos premit ad illas Epistolas contemnendas, ac reprobandas, vrgere studiosos deberet ad easdem tuendas, & confirmandas.

Id præterea, quod Auctor contra Græcos de Processione Spiritus Sancti tum historicè, tum theologicè exponit, tanta copia, eruditione, & vbertate doctrinæ spargit, vt neminem profectò viderim, qui exactius, ac luculentius hanc materiem excusserit. Probat enim, ante Concilium Generale Primum Constantinopolitanum neminem Græcorum negasse Spiritum Sanctum à Patre, Filioque procedere; ideoque hunc Articulum in illa Synodo manifestè sancitum, aut declaratum non fuisse. Accedere quoque Patrum Græcorum, qui ante, & post illam Synodum floruerunt, consensum, per varias Similitudines, Symbolos, & Metaphoras, eamdem Emanationem ab Vtraque Persona disertissimè attestantium: iugulatam deinde hanc Hæresim fuisse in Concilio Ephesino Primo inter

alios

alios Errores Nestorij, & huic damnationi denique subscripsisse Quartam, Quintam, Sextam, & Septimam Synodum Generalem; & alia huiusmodi, quæ ad rem faciunt, ea amplitudine, doctrinæque soliditate peragit Auctor, vt nihil excusandum apponat, nihil in proposito desiderandum omittat.

Postremò Auctor ad quinque Infidelium genera, nempe Atheos, Theistas, Iudæos, Mahometanos, & Ethnicos, per distinctas Parænefes conuersus, eos robustis, constipatisque argumentis à naturæ ordine, à dictamine rationis, à disciplina morum, ab implicantia rerum, alijsque locis elegantissimè ductis, & simul eloquentiæ velut flumine obruit. Equidem tamquam in amænum, ac mirificè excultum viridarium ingressus ex scintillantium vasta segete florum aliquos carpam, & velut in fasciculum ducam. Contra Atheos, ac Theistas inter alia multa sapienter ostendit, euincitque necessitatem Primæ Causæ,& illorum insaniam,qui ex fortuita Atomorum colluuie Mundum conflatum, casuque omnia fluere, somniauerunt:simul qui Naturam esse fatentur,& omnia in Naturam, eius Auctore dementer excluso, conijciunt. Iudæos præcipuè verberat, & confundit Talmudicæ doctrinæ fęditate, absurditate, & amentia; Mahometanos pugnantibus inter se theorematibus Alcorani, fabulis etiam, nugis, ineptijs, affectata ignorantia, obstinato silentio de Lege, impuritate, obscænitate morum ac vitæ.Ethnicos pluralitate Deorum per se impossibili, & in coopertis sceleribus Dijs ipsa scelera venerantes, adorantesque. Atque in hac argumentorum struenda mole Scientificè,ac Demonstratiuè vtplurimùm Auctor incumbit; itaut ibi arcana patentia naturæ Physicus, ingenij acumina Metaphysicus, nodos ac tricas inextricabiles Logicus, flores & lumina Rhetor inueniat. Hæc de Opere in suas partes diuiso, expensoque, dicere occurrit.

De toto vero, integroque Volumine. Stylus Latinus tota elocutione, & ornamento grauis, vegetus, & ita floridus est, vt inter Patres Societatis,in hoc dicendi genere florentissimæ, nulli hac tempestate secundum esse censeam: simul densus in sententijs, modestus in Censura, sanus in Iudicijs, & Arte-

tam.

tam benè expolitus, & cultus, vt narrando quoque doceat, ac velut tacitè instruat. Tanta prætèrea rerum plenitudine, & Copia, in breui, pressa, & concisa oratione, restringitur, vt cumulatæ abundantia doctrinæ plures huiusmodi Libros conficiendi explicatiori, liberiorique eloquentiæ, ac fusiori stylo, satis argumenti dedisset. Legat illum Missionarius, legat Controuersista, legat Catholicus, & Hæreticus, legat Doctus, & Indoctus. In his literarum nundinis omnia, & opulenter parata pro omnibus sunt.

Hæc habui, Illustrissime, ac Reuerendissime Præsul, quæ pro mea sententia de hoc elegantissimo, & eruditissimo Libro exponerem, vi tamen tuæ iussionis adstrictus; verebar enim, ne mihi in suffragium ituro meritò illud obijceretur, quod de Concione Atheniensium vir quidam præclarus asseruit, quod scilicet ibi sapientissimus quisque diceret, insulsus verò sententiam ferret. Vale, & optimè vale. In Ædibus S. Siluestri Montis Quirinalis de Vrbe die 26. Iulij 1689.

Dominationis Tuæ Illustrissimæ, ac Reuerendissimæ.

Humillimus, & Studiosissimus Seruus

D. Caietanus Passarellus C.R.

Imprimatur,

Si videbitur Reuerendiss. P. Sac. Apost. Palatij Magistro.

Stephanus Ioseph Menattus Episc. Cyrenen. Vicesgerens.

Imprimatur,

Fr. Thomas Maria Ferrari Ord. Præd. Sac. Ap. Palatij Mag.

ROMÆ, M. DC. LXXXIX.
Ex Typographia Nicolai Angeli Tinassij Impressoris Reuerendæ Cameræ Apostolicæ.

Superiorum permissu.

